



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum IX. Ne nimia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Abb. in cir. c. nihil n. 11. quem sequitur Sanch. d. 22. n. 54. discrimen esse inter actus electionis & presentationis à bonâ fidei possessore exercitos, & inter actus jurisdictionis; quòd his actibus jura resistant, ne validè fiant, nisi adfit concessio Superioris: nam hanc resistentiâ ipsi probare, non supponere debent, præsertim cum jura potius in hoc casu assistere videantur possessori, dum præscriptionis beneficium tribuunt, juxta illud vulgatum, quòd consuetudo præscripta jurisdictionem dat, & aufert. Dixi autem suprâ, ad jurisdictionem præscribendam & possidendam opus esse scientiâ & patientiâ Superioris, cujus est conferre, quia id generale est, quòd possessio & præscriptio jurium non procedat sine scientiâ, & patientiâ domini, uti docent Legistæ, item Bart. in L. 4. n. 6. Bald. in L. 2. n. 19. cod. de servit. Iason. l. c. n. 52. ubi hi resolvunt, si aliquis ingressus sit in parochiâ possessionem, tabellionatûs vel alterius officij, sciente & patiente Superiore habente potestatem, actus ejus valere.

CAPITULUM IX.

Ne nimia.

PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex Innoc. III. cum Concilio Generali, ne quis in posterum novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem voluerint converti, unam ex approbatis eligant. Vetat insuper, ne quis in diversis Monasterijs locum Monachi assumat, nec unus Monachus pluribus Monasterijs præsit.

SUMMARIUM.

1. Novum institutum Religionis nemo introducere potest sine Romani Pontificis auctoritate.
2. Qui in aliud Monasterium legitime transfertur, amittit jura prioris Monasterij.

Notandum primò. Nemo jam potest novum Religionis institutum introducere, aut novam Ordinis regulam condere sine expressa Romani Pontificis approbatione. Idem habetur in c. unico hoc tit. in 6. Et in Extravag. un. Ioann. 22. eodem tit. ubi secta appellatur, quæ sine Sedis Apostolicæ approbatione introducta est Religio. Vide Suarez tom. 3. de Relig. l. 2. de relig. status essentia c. 15. & 16. & quæ dixi l. 4. tr. 5. c. 1. n. 3.

Notandum secundò. Si professus unius monasterij in aliud monasterium legitime transferatur, aut in Abbatem, vel Præpositum Regularem alterius monasterij assumatur, statim amittit jus, ac titulum prioris monasterij, consequenter etiam amittit jus suffragij dandi in priore monasterio, hoc ipso, quòd non sit unus ex corpore, five collegio illo, sed ad aliud translatus. Consentit c. constituti 47. de electione. ubi id docui not. 2. & in disp. de Pralat. q. 202.

CAPITULUM VNICVM

eadem Titulo in sexto.

Religionum.

PARAPHRASIS.

Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunensi repetit Innoc. III. decretum in Lateranensi Concilio latum suprâ c. ult. hoc tit. ne quisquam de cætero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, vel novæ Religionis habitum assumat, ideòque omnes Religiones, & Ordines Mendicantium, qui post dictum Concilium inventi sunt, & Sedis Apostolicæ approbationem non acceperunt, prohibet, ac revocat.

SUMMARIUM.

1. An hæc prohibitio & irritatio extendatur ad omnes Congregationes Virorum ac Mulierum?

M m m 2

2. Qui